





33.

2. D. B. V.  
DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS  
<sup>DE</sup> CLYSSIS MINERALIBVS

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

VVILHELMO HENRICO  
DVCE SAXONIÆ JVLIA CIIVIÆ AC MONTIVM  
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ e.r.

PRÆSIDE  
PRORECTOR MAGNIFICO DESIGNATO  
JO.HADRIANO SLEVOGTO

HEREDITARIO in Ober-Rosla  
MED. D. AN. CHIR. ET BOT. P.P.  
ITEM QVE MED. DVC. PROV.

PARENTE SVO DEVENERANDO

PRO LICENTIA

SVMmos IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA

RITE CAPESSENDI  
PVBLICÆ ERUDITORVM DISQVISITIONI

SISTIT

JOANNES FRIDEMANNVS  
SLEVOGTVS,

IENA THVRINGVS  
IN AUDITORIO MAJORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

D. 3 AVGVSTI ANNO MDCCVII.

JENÆ

LITERIS GOLLNERIANIS.

V I R O  
*Illustri & Excellentissimo*

**JOANNI JACOBS**  
ICTO CONSVMMATISSIMO  
CONSILIARIO SAXO GOTHANO INTIMO  
EMINENTISSIMO ET CONSISTORII  
ECCLESIASTICI VICEPRAESIDI  
GRAVISSIMO


*Domino & Patrono suo  
demise colendo*

SPECIMEN HOC INAVGVRALE  
in grati animi significationem pro innumeris acceptis beneficiis

suique vltiorem commendationem

*ea qua pars est submissione offert*

**JO. FRIED. SLEVOGTIVS, Ddus.**



Q. D. B. V.

§ I.

**L**YSSVS MINERALIS est liquor salinus, modo acidus, modo alcalinus, plus minus  $\Phi$ eus, ex variorum corporum, per detonationem successivam in retorta tubulata resolutorum, exhalationibus, ab humido conveniente exceptis, emergens, multiplices in foro chimico & medico usus edens.

§ II. Placuit prolixorem clyssi descriptionem dare, ut de ratione denominationis ejus, & multiplicitate vocis significacione, ipsiusque substantia & materia ex qua, modo item preparandi ac usū primo statim intuitu constaret. Est enim, verbis Cl. Brunonis, in Lexico, *clyssus terminus technicus*, denotatque *-us mineralis compositos*, & potest equidem, Rofinio judice, Chim. in A. F. red. p. 173, civitate donari, existit tamen nominis derivatio obscura, an a  $\alpha\lambda\omega$  abluo, lavo, & rectius dicatur  $\alpha\lambda\omega\tau\sigma$ ,  $\alpha\lambda\omega\tau\mu\alpha$ , ablutio, lotio, ut designetur actio ablendi antimonium: vel  $\alpha\lambda\omega\delta\sigma$ , fluctus, ut denotetur tumultus & astus effervescentiaque, qua in  $\Omega$ ne auditur. Habet certe utraque etymologias fatores, ita tamen ut, quamvis Barchusen, Pyrosoph. lib. 2, c. 4, art. 9, cum nonnullis ad posteriorem inclinatur, nobis prior magis arrideat, ob rationem a Cramero, in colleg. chim. dissert. 3, c. 4, § 16, adductam: *Clyssi nomen ambiguum est, unde dicatur. Quod an  $\alpha\lambda\omega\zeta\omega$ , abluo, quedam etyma ratio videtur suadere. Ex veterum enim monumentis constat, quod salina in retortis*

*tubulatis, fluida vel ignita, per aquarum aspersiones in vapores spirituosos exfuscatare olim consueuerint; qui destillationis modus clyssi nomine in specie dictus fuit.*

§ III. Ex his apparet, admodum difficulter vocabuli originem a *u'vw*, *declino*, & *u'ls'i*, *inclinatione*, *declinatione*, derivari; quod scilicet per rostrum retortæ *inclinatum* exhalationes in declivem locum pellantur; minusque commode proinde loco clyssi, Glauber & Coll. Leid. c. 34 & 48, clissum scribi. Stat enim vox Clissi inter phrases Paracelsicas, qua vtitur, quando Philosoph. lib. 4, tract. 1, de Form. elem. aquæ, § 2, de mari ita obscure fabulatur: *Und sein Aufgang und Abgang nimmt sich aus dem / daß alle Feuchte mit der Nacht nieder gehnd und mit dem Tag wieder aufsteigen / der Höhe zu / das ist cliso; gleichermaßen in Wasser / wie in andern Feuchtien / auf und absteigen/ hingehen und wieder aufgehen.* Eritque hoc pacto, ut verbis intelligibilibus Wilhelmi Johnsoni, ex lib. 1, Lexic. Chim. p. 63, rem efferamus, *clyssus virtus rerum occulta, vadens & rediens, unde primum exivit; ut virtus radicum in causam transit, ac reliqua, que surgunt ex eis; tandem in eos revertitur post autumnum, ibique per hyemem totam delitescit, usque ad primum ver atque estatem: Clyssus autem, juxta lib. 2, Lex. ejusdem, p. 27, ex Glauber, *spiritus ex antimonio, sulphure & nitro paratus, ob multa commoda merito magni estimandus.**

§ IV. Quem cum & nos hac vice explicare intendamus, per epitheton *mineralis* ipsum satis longe a *Quintis* ( vel, sec. Helmontii principia, *Quartis* potius) *Essentiis*, quas superiorum seculorum chimici, modo *clyssos absolute*, modo *clyssos vegetabilium* appellare solebant, removemus. Arduum esset, & a nostro insuper scopo alienum, operose definire, quid per Quintam Essentiam Paracelsus voluerit intellectum, quatenus, Johnsono teste, l. c. p. 101, & p. 103, *eam modo aliquid preter elementa, nec ex horum crassi ortum, divinum auctore & effectis esse dixit: modo per materiam, ab omnibus, qua natura produxit ac*

*vitam*

¶ § 105

vitam habent, corporaliter tractam, ab omnibus impuritatibus & corruptibilitate separatam, ipsisque elementis subtilissime repurgatam definivit. Hinc celsit postmodum nobilis medicamenti nomen inter discipulos Paracelsi in abusum adeo propugiosum, ut nonnulli eorum pro lubitu Quintas Essentias fingendi, & ineptissimis, simulque intricatissimis earum descriptionibus, credulis lectoribus illudendi libertatem sibi arrogaverint.

§ V. Missis itaque ejusmodi a Libavio, Porta, Be-guino, aliisque profusis tricis, unam alteramque, in præsen-tia *Clyfforum vegetabilium*, Quintarum Essentiarum titulo superbientium, descriptionem exempli loco producemos. Primam affert Bruno ex Rulando, quam Thurneisseri hist. plant. p. 90, deberi, apud illustrem Wedelium, Patronum & Præceptorem nostrum maxime colendum, in Pharm. acroam. p. 474, cum annexa simul accuratissima epicrisi legimus. Ni-mi-rum doceri ab autore, per ἐνυχίην perculiarem, oleum & sal atque *bumidum* (aqueum) ex eodem corpore producta, ita rufus combinare, ut ea tribus cucurbitis, quoad ventres distinctis, col-letenus autem unitis, inque unum orificium coeuntibus, com-prehensa, per aquabilem calorem in communem alembicum pellantur. Præcipitur enim hoc ipsum majori ingenii, quam successus felicitate; cum ne tyronem quidem pharmaciae impossi-bilitas, ejusmodi distinctæ indolis concreta eodem ignis gradu in altum promovendi lateat.

§ VI. Alterum artificium suppeditat Le Mort, quando Collect. Leid. cap. 144, & chim. med. phys. p. 252, pro acquiren-do clyffo s. Quinta Essentia herbæ alicujus, menthae v. g. vel majoranae spiritus, per fermentationem inde parati, & summe rectificati, part. 5, cum olei, ex vesica prolecti, part. 2, salisque fixi cinerum, parte una, per 14 dies & ulterius digerit, donec omnia fere unita sint. Ubi obiter notamus, non absque ratio-ne voculam fere, in Collectaneis omissam, chimiaæ modo me-moratae insertam legi: cum sine dubio ipsa praxis docuerit. au-

torem, nullo quidem negotio Spiritum Φλογίσον cum oleo  
æthereo, difficilime autem & ne vix quidem cum Æle fixo per  
talem digestionem copulari.

§ VII. Hisce addimus adhuc aliud Clyssi, ejusdemque  
vegetabilis, & prorsus simplicis specimen, ex Olai Borrichii  
tr. de plant. indig. usu in med. p. 76, excerptum, quo id potissi-  
mum intenditur, ut nihil plantis adjiciatur, nihil preter feces, sub-  
trabatur, nihil rancidum, verminosum, putredinosum in iisdem, etiam  
asservatis, queat reperiri, sed virtus tota, quantacunque in eo ger-  
mine delitescit, ad nutum parata imperium expectet. Modus pa-  
randi est, ut ex planta integra, vel ejus una alteraque parte contu-  
fa, non expectata fermentatione, ope humilis cucurbitæ, bal-  
neique madentis arenæ, omne humidum, vulgatis aquis destilla-  
tis efficacius, oleoque pro re nata comitatum, abstrahatur, quod  
in vase remanet, siccum asservetur, ut, quoties necessitas utendi  
imperat, cum aqua prolecta in loco calido per horæ quadrantem  
digeri, succusque valide expressus, hinc per colum, aut fæcum ad  
fundum feceslum depuratus, cum modico saccharo, vel triplo  
iūsculi propinari queat, pro lubitū sale fixo roborandus, quod ex  
herba residua & fæcibus, in tigillo clauso ad nigredinem uscis,  
extractum est.

§ VIII. Haud vacat, singulares hujus & præcedentium me-  
dicamentorum laudes, apud autores legendas, h. l. recitare; cum  
in viam, ex qua nos clyssi vegetabilis dimoverant, redeuntibus  
illi occurrere videantur, qui in sequentibus paragraphis *alcali-*  
*norum*, & *a tartaro* nomen gerentium clyssorum, non minorem,  
quam *acidorum* & *sulphureorum*, rationem nos habere animad-  
vertentes, *angustiam inscriptionis dissertationis* pariter, ac *subiectæ*  
*definitionis* nobis exprobrabunt; cum ex mineralibus vix alii, quam  
acidi liquores per ignem expellantur, tartarusque haec tenus inter  
vegetabilia concreta numeratus sit. Quæ omnia cum negare  
non queamus, id saltem nobis erit reliquum, ut regeramus: (i)  
autoritatem Rolfsinii, Brunonis, aliorumque, sub spirituum  
mine-

mineralium titulo tartareum etiam clyssum comprehendentium ; (2) necessitatem distinctionis inter minerales & vegetabiles ; (3) ipsum tartarum a prosapia quidem vegetabili dependere , quam proxime tamen textura intrinseca sua salino - terrea & habitu externo lapideo , ad mineralia accedere , eodemque jure iisdem accensi , quo Φ solet , non exiguum sui systematis partem ex animali regno habens ; (4) haud esse dubitandum , quam plurimas particulas ex antimonio & nitro clyssum tartareum subire , adeoque non injuste , vel horum respectu , eum mineralis clyssi quoque nomen reportare .

§ IX. Genus posuimus *liquorem* , vocabulum latissime patens , ipsosque *Spiritus* , quorum numero alias clyssos inscriptos legimus , comprehendens . *Salinum* vero diximus *absolute* , cum particulas acidas pariter ac alcalicas non solum lingua ex sapore , sed oculi etiam & aures ex ebullitione & strepitu , cum contrariis salibus subortis testentur . De *sulpure* autem loquimur *cum quadam restrictione* , utpote ex *Feo* & *sulphureo* magis , quam ex reliquis , evidentiusque ex recens paratis , quam vetustioribus in sensu veniente ; pro modulo scilicet ingredientium , ut vocant , nomine *corporum variorum* in definitione expressorum , non quidem promiscue talium , sed ita contextorum , ut & *particulas exhalabiles* , in fumos scilicet & vapores resolvi aptas , possident , easque in tumultuaria istiusmodi operatione edere queant , & quidem *sufficienter* , ut expectationi laborantis fiat satis . Quod ipsum , an de silicibus & metallis , a nonnullis huc quoque inter ingredientia clyssorum locatis , sperari queat , in medio relinquimus .

§ X. Est enim *detonatio* operatio valde præceps , & a devoluenda principia arctius colligata , ut in metallis , in primis perfectioribus , esse solent , minus apta . Contra ea ad salia , & alia laxioris compagis mineralia , v. g. antimonium , bismuthum , arsenicum &c. recludenda , invertenda , ac destruenda satis apta .

Leme-

Lemery, Cours de chym. p. 44, definit eam per *strepitum*, ex *impetuoso particularum volatilium alicujus mistura discessu orsum*, eamque etiam *fulminationem* appellari addit. Enimvero sicuti hæc descriptio nimis *generalis* est, nec nisi grammaticæ significationi, qua Germanis est *Poltern/Brausen*/ut apud Quintil. ac Val: Flaccum, *ira detonare*, satisfacit; ita, quantum detonatio a fulminatione & fulguratione differat, perspicue & accurate ex supra laudata pharmacia Wedeliana, a pag. 153 ad 159, discere datur. Secundum celeb. Bohnii Dissert. chim. phys. 12, § 20, contingit detonatio, per actionem & reactionem mineralium sulphureorum & nitri, que simul igni commissa, cum fulgere & strepitu quodam flagrant. Barchusenio, Pyrosoph. lib. 2, pag. 105, sit, quando nitro varie, oleosa & sulphurea prosapia concreta, ut antimonium, sulphur, tartarus, carbones, &c. admiscetur, que protinus tantillo olei, in nitro latenti, particulis scil. salinis intricato, auxilio sunt, ut illud, a pruna admota, flammam, parem pulveri pyrio, suscipiat: vel eadem res sicca pulverisata commissa crucibulo, vel alti vase candenti per vices ad accendendum injiciuntur, ubi earum pars volatile aufugit, fixiore restante.

§ XI. Adduximus data opera processus sive operationis hujus prolixiorum delineationem, quia (1) subjecta ejus potiora, & atque concreta suspheurea, & (2) differentiam inter *detonationem apertam in tigillo*, & *clausam in retorta tubulata* instituendam indicat; simulque (3) primariam quoque encheiris in *per vi-ces scil. esse procedendum*, nominat, quam dudum Bas: Valentinus, Curr. triumph. § p. m. 397, de præparatione antimonii dia-phoretici agens, inculcaverat, idque stylo isti seculo familiari: Die composition (pulveris nitri & antimonii) wird aus gebrand in einem verglasten neuen Topfe/ darinnen keine Fettigkeit kommen/in einem circuseuer/ nicht auf eins mahl/ sondern einzelnen nacheinander eingetragen/welches die alte Spagirische Schuler verpuffen heissen/darum wer sich dieser Ding unterwinden will/folche ihre selzame Art

zu reden erlernen mus / welche sonst einen ledern Bauren  
Edpel nicht gemein in seiner Erfahrung und Experiens.

§ XII. Locavimus autem detonationis terminum ita in-  
ter reliqua definitionis membra , ut *differentiam specificam &*  
characterem constituat, cuius intuitu plurimi processus, cly-  
ssi nomen hactenus gerentes, eodem indigni ostendentur , rur-  
susque aliis, isto titulo hactenus substitutis, eundem in se reci-  
recipiendi plena potestas concedetur. Quod ipsum tamen  
minime continget, nisi paradoxa opinio Barneri, qua Chim. phi-  
losoph. part. 3, c. 2, p. 299, omne spirituum genus ad clyssos re-  
fert, quod per iteratam injectionem ex instrumentis tubulatis fit,  
sive materia injecta deflagrando suos spiritus emittat, sive bi, abs-  
que ulla accensione prævia, violentia ignis acti, propellantur, e me-  
dio tollatur. Cum per eam distinctio eorum a reliquis quibus-  
cunque fere spiritibus , non nisi ex figura instrumenti , retorta  
scilicet tubulata , modoque ingerendi , non autem ex detona-  
tione, quam in aperto quoque vase fieri posse, § præced. asse-  
ruimus, omnesque concedunt, haurienda esset, assertique Rol-  
ficiani, ab ipso Barnero l. c. allegati, & a nemine hactenus im-  
probati, veritas, *Clyssum audire spiritum, qui per deflagrationem*  
*similemque modum accensionis factus est,* prorsus caderet. Ut  
taceamus, eidem autori, p. 303, minus arridere, a Schroedero  
& Rolfinco antimonii & sulphuris partes æquales clyssi alicu-  
jus præparationi destinari, cum hec duo, *spiritus equidem modi-*  
*cum emittant, attamen in deflagrationem non facile abeant, sed*  
potius collquentur & in flores sublimentur, adeoque nitro  
pro accensione opus habeant.

§ XIII. Patet igitur, nullo jure in Mantiss. Spag. Zvvelsse-  
ri, part. 2, c. 9, p. 544, *¶ Oli essentiatum, ex Olo Hungar. Oli,*  
post repetitos labores depurato, per retortam vitream pulsum,  
& Oli capit is mort, junctum, clyssi inscriptionem gerere ; cum  
nullam detonationis administrationem requirat, qualem equi-  
dem circa *præparationem spiritus salis, cum Olo insituendam,*

Kerkringius, Comment. in curr. triumph. §, p. 220, prolixa oratione, adjunctaque figura ænea vasis tubulati & trium excipulorum, adhibet, sed perperam; cum sine dubio salis, quem Basilius in lineis præcedentibus, more recepto ex simplici retorta urgere jussferat, ejusdem bonitatis sit, ac iste alter, tot ceremoniis instructus; quæ tamen ipsum neutquam ad clyssi dignitatem evehere queunt; cum *deflagratione ingredientium*, ceu potissimo requisito destituatur.

§ XIV. Vix etiam Knœffelium ex uncis duabus §ii, cum quintuplo ♂ prius in pulverem album redacti, & denuo cum uncis tribus ♂ in retortam tubulatam projecti, *fulmen aliquod*, ut Clavis Schroeder. p. 317 loquitur, & tum *cum floribus incarnatis* unquam obseruasse credimus: Et quia constat, quam leni tumultu Reguli, ab eodem Knœffelio modo dictæ calci fixissimæ substituti, & cum duplo vel triplo ♂ cendant vasi traditi, laboratoria personare soleant, vix operæ pretium videtur, tantilli liquoris, ex adeo exigua mole ingredientium extorquendi causa, clyssio competentia organa operose comparare.

§ XV. Nec sine abusu nominis, a Barnero clyssis duo isti modi Glauberiani, *tum ♂lis conficiendi*, annumerantur; per quorum unum ♂ commune, globulis argillaceis impactum, cendant retortæ per vices immittitur: per alterum autem cum ♂lo aut alumine mistum immediate prunis in furno inspergitur. In neutro enim processu *detonationis occurunt vestigia*, nihilque per *priorem viam*, præterquam purus putus salis acquiritur, idque *vix breviori tempore*, quam si globuli, cum longa mora & pedetentim ingesti, una vice omnes suo vasi concrediti fuissent. Per posteriorem autem assurgit in numerosas, 20 vel 30 ollas, intrinque pervias, liquor, quem Rolfinium *recte* *fuliginibus carbonum simul mistum* appellasse, nec Barnerus inficiari potest, merenturque legi, quæ in laudata pharmacia Wedeliana, p. 476, de hac operatione pariter ac ejus producto candide solideque consignata extant.

§ XVI.

§ XVI. Qui ex Θle marino crystallos, omni sacharo, si  
Diis placet, dulciores, magnum adversus hydropem, febres  
malignas, & pestem ipsam præsidium, aurique, in cordialissi-  
mum medicamentum convertendi, aptum menstrum, ex Or-  
tel. comment. in Sendivogium concinnare satagunt, solent ei-  
dem in retorta tubulata fistili, ab Agricola in notis in Poppium,  
tract. de Θle, p. 105, depicta, per ignem fuso, repetitis vicibus  
guttulas να instillare, quæ subito in vaporem resolutæ, cum  
stridore in vas recipiens prorumpentes, moleculas salis secum  
eo abripiunt, per decentem abstractionem humidi, in crystalli-  
num corpus abeuntes, de cuius dulcedine Barnero per nos *negative*  
respondere liceat, modo nobis permisum sit, ejusmodi  
productio, cui, ut ex § 2 patet, diu ante nos clyssi nomen imposi-  
tum fuit, ipsum, in honorem venerandæ antiquitatis, non abro-  
garé quidem penitus, attamen tanquam *in latiori tantum sensu*  
competens afferere.

§ XVII. Haud absimilem sententiam de Θ, sec. carmen  
antiquum, in Schmukii Thesaur. secretorum legendum, hujus-  
modi ratione dulcificando, ferendam esse putamus, nec non  
de famosa *Aqua pugilum*, dem *Fechterbade* Basilii, ad clyssi  
normam paranda, cum elementa ejus ♀ & \*, absque detonatio-  
nis strepitu, si recte meminimus, ac luculenta deflagratione spi-  
ritum suum evomant, qui, verbis Barneri, l. c. p. 304, acidus  
est, quoniam in deflagratione a \* co acidus simul ~tus, ex Θle  
comun. propter Gas accensi ♀, resolutus, in ~tum abit, &  
quanquam simul urinosum \*ci elevetur, acidum tamen præ-  
dominatur.

§ XVIII. Longissime a scopo abeunt, qui vapores Θli-  
nos, ex Θ vel Θlis ~u, cucurbitæ humili inclusi, durante  
effervescentia, ab injecto sale ♀ vel calce viua excitata, in ale-  
biculum ascendentis, ibique in liquorem colliquecentes, inter  
clyssos ponunt; cum quibus vix in uno tertio conveniunt.  
Cum contra ea inventio Glauberi, liquorem salino- ♀em  
empty-

empyreumaticum, ex viridibus lignis, in furno spatiose accensis, per affixos tubos colligendi, quam proxime nostrum negotium tangat; ut merito *clyssificatio vegetabilis* salutari debeat. Describit autor arrifcium p. 172, Cont. mir. Mund. viditque venerandus Parens in laboratorio Rolfinciano, omnigena suppellectili chimica quondam instructissimo, per tubos fisticiles, ad 40 pedum longitudinem exorrectos, talismodi clyssi subacido amari, aureique coloris, libras fere quatuor ex plus quam 50 libris herbae C. B. siccæ, in excipulum vastum vitreum stillasse.

§ XIX. Remota jam processuum, quotquot pro tempore nobis in memoriam redierunt, plus minus juste clyssorum nomine gaudentium turba, nihil obstat, quo minus ad *egyos*, unde discessimus, revertamur, absque ulla evagatione visuri, quænam sit *varietas clyssorum*, definitioni nostræ conformium, ex ingredientium diversitate noscenda; quibus mox encheires, tam *omnibus in genere*, quam in *specie singulis* observandæ, & quis denique *usus* eorum atque *affinium* hactenus extiterit, annectentur.

§ XX. Cum B. Rolfincio cuncti clyssi ~~rum~~ *compositorum* nomine veniant, talesque etiam, saltem respectu ingredientium, non infra ternarium numerum descendantium, haberi possint, haud alia ipsi distinctione, quam a multititudine horum desumpta, opus fuit, ut alii *minoris*, alii *medii*, rursusque alii *majoris apparatus* dicerentur. Cum autem manifestam inter hosce differentiam, ratione *saporis* non solum, sed *coloris* etiam atque *saporis* percipi, adeoque texturam in uno magis homogeneam, quam in altero existere palam sit; hinc optima ratione a Magno Wedelio, l. c. p. 475, *in tres simplices & totidem compositos* dispescuntur, ut ad simplicium constitutionem, nitro, ceu basi, tantum  $\Delta$ , vel \* cum, vel  $\square$ ; pro compositis autem,  $\text{tio}$  nitrum &  $\Delta$ , vel  $\text{O}$  &  $\square$ , vel  $\text{O}$ ,  $\square$  & \* insuper associentur, & hoc pacto itidem *minores*, *medii* & *majoris apparatus* ratio habeatur; qui etiam tunc suum locum retinebunt, quando, respectu

spectu, ad recepta inter chimicos summa genera Olium habito, non tantum, cum Barnero, peculiaris classis *clyfforum acidorum*, ab *alcalinis* diversa, sed, præter has duas, *tertia* quoque *mediorum* statuetur, haud neglecta *simplicium a compositis*, ubi seorsim ocurrent, distinctione, ut ex singulorum descriptione patebit, si prius *generales* & omnibus competentes operandi *encheires* perclusa reverimus, *speciales* unicuique individuo reservaturi.

§ XXI. Sit itaque (1) præsto retorta fictilis, ventre 18 vel 20 librarum aquæ capace prædita, in quam libras quatuor vel quinque misturæ importare animus est. (2) Sufficit ipsi unicum rostrum, si unum tantum liquorem, aqueum vel spirituos. exhalationibus prægnantem reddere animus fuerit; si simul diversos, duo quoque vel plura rostra requiruntur. (3) Præter rostrum alias tubis, per quem materia deflagranda ingeritur, ex latere ventris potius, quam dorso ejus emergat, diametro amplitudinis suæ vix duos pollices superans. (4) Excipulum sit vitreum, ut de exhalationum quantitate & qualitatate judicare queamus, simulque amplissimum, nec, ob fissuræ metum, immediate rostrum retortæ excipiat, sed (5) interponantur 4 imo, 5 alia *rostra*, rectius *excipula intermedia* dicenda, vitrea aut argillacea, ipsi ampulloso suo ambitu minimè inferiora, ut lineam serpentinam magis quam rectam constituant; quo pacto subito erumpentia effluvia non tantum spatiū sufficiens commorandi invenient, sed impetus quoque eorum per angulosum iter infringetur. (6) Juncti rā horum vasorum studiose occludantur, excepta ultima, vbi exiguum foramen relinquendum est; cum præstet, modicum vaporum cum sibilo ex nimis repletis vasis circa extrellum expirare, quam totum eorum flumen versus retortam & ejus tubum regurgitare. (7) In singulis receptaculis stagnet quantitas humidi, materiae ingerendæ proportionata, in qua salia resoluta sedem commodam inveniant. Barnerus l. c. p. 306, *lib. sp. vin.* rectificatissimi fumos ex *lvi* misturæ capere posse scribit: sed procul dubio erroribus typographicis, quibus libellus

refertissimus est, hæc justo minor excipientis liquoris quantitas  
assignari debet, rectissime ad libras 4 l. 5 extendenda: cum a ~~libra~~  
misturæ, pro clyso quounque adhibitis, totidem libræ ~~et~~ sim-  
plicis eatenus particulis salino ~~et~~ eis saturentur, ut per levem re-  
ctificationem justam consistentiam accipiant; sp. vin. autem in-  
prim. rectificatisimus, utpote dudum propriis particulis salino-  
~~et~~ eis turgens, alienarum non æque, ut aquosum menstruum, ca-  
pax sit. (8) Retorta candeat saltem in fundo, antequam ingestio  
materiæ accendendæ fiat. Quam licet Barnerus siccam esse jubeat;  
tamen (9) nonnulli eam ~~et~~ humectare, vel per unum alterumque  
diem in cella subterranea asservare, vel etiam portiones, retortæ  
ingerendas, cucullis chartaceis includere solent. Cum autem  
per oleum papyri spiritus contaminari queat, ideo præferenda  
ipsi est humectatio, sed parcissima; ne ab humido exsuperante  
vas candens fissuras patiatur. (10) Una vice ultra 3*i* non injici-  
atur. (11) Post injectionem clauditur tubus turunda lignea,  
accurate ostio ipsius aptata, ne quid avolet, aut argilla molli  
linteo excepta: idque non, ut Schröderus præcipit, *propediem*,  
sed *actutum* potius & *celerrime*. (12) Lente festinandum, nec ante  
repetenda ingestio, quam nebulas in vitro ex parte subfedisse  
animadvertisse; quod ipsum interdum moram octavæ partis  
horæ requirit; cum contra ea qui nimis properant, præter ja-  
cturam bonæ partis exhalationum, qua data porta, vel per tu-  
bum justo citius apertum retrolabentium, vel per disruptas  
juncturas, aut plane dispersa excipula aufugientium, etiam  
periculum accensionis materiæ adhuc ingerendæ, a nimis calefa-  
cto, aut scintillam ex retorta reportante cochleari, haud frustra  
timendum incurvant. Vidi mus in paterno laboratorio duas  
tertias misturæ clyssi & freii hoc modo per caminum excessisse,  
evasisse, erupisse; similique spectaculo etiam Barnerum ali-  
quando territum fuisse, ex septima ejus encheiresi, p. 307 im-  
pressa, haud obscure colligimus. (13) Densantur autem nebulæ  
& citius in subiectum humorem liquefcunt, si saepius linteami-

na, v frigida madentia , rostris intermediis imponuntur. (14) Interim ignis in eodem gradu, quo cœpimus servandus est; ne ex defectu caloris resolutio corporum non fiat exquisita, aut ab excessu ejus eadem in ebullitionis furorem excitentur. (15) Tandem , quod in plerisque aliis operationibus etiam le- cum habet, non tutum est, juncturas aperire & clyssum col- ligere , antequam omnes nebulæ , oculis naribusque, imo & pulmonibus nocturæ, si imprudenter haurirentur , dispa- runt; id quod altero die fere contingit.

§ XXII. Addunt nonnulli generalibus hisce monitis, quid porro circa *Rectificationem* clyssorum , & in rostra sublimatos flores, ipsamque in retorta relictam massam factò opus sit: ast cum haec & similia diversitas subjectorum admodum variet, ea in sequentibus videbimus.

§ XXIII. Inter acidos clyssos, respectu numeri ingredien- tium, minoris apparatus & simplex est, ex nitri & ♀ communis æqualibus partibus, v. g. 1*lb*, in pulverem redactis, cum v s. 16*ii*, per 4 excipula dispensatis , lege artis, modo in præcedente § dicto paratus. Accenditur mistura promtissime, & deflagrat luculenter sine notabili strepitu, prodeuntque nebulæ albican- tes, floribus flavescentibus comitatæ, a quibus liquor per filtrum separatur , mole equidem non admodum aqua, excipulis infusa , major, sed pondere tamen gravior, cuius sapor austero acidus per abstractionem tertiarie partis humidi acrior redditur ; color limpidus est, nullum in cute l. charta sui vestigium relinquens, odor recens qualis sulph. accensi, vel sp. Oli volat. acutissimus, qui cum tempore fere periens gratior evadit; solvit ♂ & ♀, sed tarde & fine tumultu, abitque cum alcali fixo in Θ medium, in- star salis communis super pruna crepitando diffiliens. Ex qui- bus patet, falli, qui *merum* sp. nitri se acquisivisse putant; cum hic, ope boli, vel Oli, vel O expulsus, per nebulas ruffas & plus quam aurantii caloris prodeat , manusque & chartam flavissi- mas reddat, præterea in dicta metallæ celerrime irruat, cum effer-

effervescentia, fumo copioso & odore gravi sibique proprio, ut per eum a quolibet alio sp. minerali distinguatur, tandemque cum quolibet alcali in nitrum purissimum, quod *regeneratum* vocant, & totum deflagrabile est coaguletur.

§ XXIV. Ut ratio tam notabilis discrepantiae appareat, brevem diuinorum utriusque ingredientium instituere oportet. Estn. nitrum concretum *Geo-salinum*, media natura, adeoque de alcali, eoque fixo, & *ido* volatiliiori, facileque seorsim exhibendo, vel in alcali per ignem convertendo, participans. Sunt qui ventosum ejus cum corporibus *Φλογίστοις* strepitum considerantes, istud originem ex Aere habere, imo non nisi compactum aërem esse, aut c. Borrichio, Act. Haffn. Vol. v, obs. 88, ex follibus, aere turgidis, constructum censem, quorum opera concreta, comburi apta, secum in flamمام abripit, liquatque & calcinat, vel prorsus destruit atque consumit. Ad sulphureo salinum hoc principium respiciens Basil. Valent. nitrum, de se ipso loquens, introducit, von Wiederhöhl. des großen Steins p. 103, zwey Elemente werden in mir am meisten gefunden / Feur und Lust / Wasser und Erde am wenigsten / drumb bin ich feurig / brennend und flüchtig / innwendig heis / auswendig kalt. & p. 104, außerhalb meiner Gestalt bin ich Eis / wenn ich aber anatomiret werde / bin ich ein höllisch Feur. Gaudet præterea modica terra, quondam parum estimata, quæ hodie decenter repurgata, sub nomine *Magnesia alba* inter purgantia ideo primum locum occupat, quia, elogio celeb. Valentini, in epist. bonos humores in excrementitious mutandi crimen, ab Helmontio reliquis catharticis intentato, carere, & tantum quod vitiosum est in corpore expellere, eoque remoto, frustra pro scopo ulterioris catharsios assumi dicatur.

§ XXV. Cum nitrum sulphureo salinum corpus possidere dixerimus, duplièm quoque clavem, compagem ejus, non quod *v* solet, superficjari, sed intime & centraliter, ut loquuntur, resol-

resolventem videtur postulare. Vnam sulphuream, salinam alteram, utramque a comm. sulphure suppeditandam. Quod apud Bas. Val. p. 104, ipsum profatetur, dicendo: **Mein hōchster Feind ist gemeiner Schwefel / und doch mein besserer Freund / &c.** Substantia enim ejus *bituminosa, xanthochroa*, sulphurea dicenda, in nitro latentibus ejusdem indolis particulis adeo affinis est, ut ambae promtissime ab igne in motum rapidissimum, flammæ formam rationem constituentem, concidentur, quod ex lapidis pru-nella facilis præparatione patet. Cum porro, præter pingue, in sulphure officinarum non mediocris quantitas Oliis acidi, per flam-mam promte resolvendi, resideat, idque ad acidi, in bolo, vitriolo & O harentis, indolem accedens, fixius sit salis petræ acido, fit, ut quando ambo a calore agitantur, volatilius nitrosum a fixiori sul-phuris ex alcali sui amplexis extrusum, fugere, adventantique novo hospiti, illud occupanti, cedere cogatur.

§ XXVI. Dictis assensum conciliabit perpetua illa naturæ lex, qua non solum inter menstrua particularia quædam certis tan-tum objectis destinantur, quatenus v. g. aqua s. Olia & gum-mi, non vero resinas; solum sulphurea, non vero salina, spi-rit. nitrī, ?, ?, non vero aurum solvit, sed etiam idem aci-dum promptius unum corpus, quam alterum arripit, iterumque deserit. Sic sp. Oli sm cito, tardius ?, tardissime hm aggreditur: nitr. dimittit h, quam absorperat, simulac potitur, quam itidem relinquit, si ipsi offertur, quem lapis calaminaris, hunc vero alcali quocunque ad fundum deturbat, & cum men-struo in verum nitrum abit, per acidum Oli in arcanum duplicatum immutandum. Ex quibus phænomenis innotescit, (1) ma-jorem propensionem salium ad salia, quam ad terrea & me-tallica concreta esse; (2) firmam manerere regulam, quod acidum solvit, id alcali præcipitare, & contra; (3) nec inter salia ejusdem speciei, v. g. acida, tantam concordiam esse, quin unum alterum ex fede sua pellat. Notum est, in \*co acidum salis mar-cum alcali & fuliginis tam arte copulari, ut nec per i-

gnem, nec  $\nabla m$  a se invicem divellantur. Quod si vero sal  $\ddot{\sigma}$ , aut cin. clavell. superveniunt, tunc expellitur sal volat. quia ab alcali fixo ligans acidum absorbetur, ut cum ipso in sal medium fixum, vulgo *digestivum* audiens mutetur; quod iterum faciem  $\ddot{\sigma}$ ri  $\Theta$ lati vel arcan. dupl. assumit, simulac cum  $\Theta$ lo igni committitur, ubi ab hujus acido alcali fixum cogitur  $\sim m$   $\Theta$ lis, ex \*co haustum, eructare; est enim hic *volatilior* sp.  $\Theta$ li, qui etiam tamdiu cum alcali copulatus manet, donec cum pingvi aliquo in  $\Delta$  commune transferit, vix alia ratione inde vindicandus, quam perflammam, ut sub nomine  $\sim u s$   $\ddot{\sigma}$ is per campanam capiatur, vel, ut nos fecimus, cum nitro in *clysum acidum simpli-  
cem* impendatur.

§ XXVII. De quo ex hactenus adductis questio nascitur eur, ut ex § 23 liquet, adeo alienus a  $\sim t u s$   $\Theta$ , per bolum,  $\Theta$  aut  $O$  parati, qualitatibus existat, cum tamen  $\ddot{\sigma}$ is acidum ad *aci-  
di bolaris*,  $\Theta$ lici &  $O$ si indolem accedere, § 25 asseruerimus. Ad quam respondemus; ex  $\Delta e$  &  $O$  non posse  $\sim m$  nitri purum expectari, sive ea nostra methodo tractentur, sive quod a non-ullis, *specifum* vel sp. sulphuris acquirendi fieri Glauberus, Part. 2, furn. philosoph. p 75, annotavit, nitro, in retorta tubulata ab  $\Delta e$  fuso, pedentim frustula sulph. inspergantur: quia plurimæ equidem acidæ sulph. particulae, per flammam pinguibus suis vinculis exsolutæ & in alcali nitri irruentes, acido ejus libertatem abeundi conciliant, sed simul etiam non paucæ earum, antequam ab alcali prehendi possunt, per caloris vehementiam in excipulum abripiuntur, ut sic sp. nitri neutiquam purus maneat & integer, sed subtili suo sulph. quo alias præ aliis sp. mineralibus superbire poterat, in deflagratione spoliatus, & ejus loco alienis spiculis salinis alteratus prodeat.

§ XXVIII. De viribus in sequentibus agemus, ut appareat, Glaubero eas nondum satis perspectas fuisse, dum l.c.sp. hunc nitri *sulphuratum*, ut vocat, nec ad medicinam, nec ad chimicas operationes multū valere putat. Sed omnino operæ pretium videtur, quan-

quando sal *polycbresium* Glaseri & Lemery desideramus, ut simul propter hunc clyssum detonationis laborem non recusemus, cum caput mortuum ejus salis dicti nos participes faciat. Solent equidem citati autores ex ana nitr. & sulph. in tigillo per apertam detonationem illud concinnare, sed frustra tunc utilem liquorem in auras pellunt. Est præterea Lemery in exacta, imo répetita & ad aliquot horas protracta calcinatione, hinc solutione per v & coagulatione, admodum scrupulosus, ne vestigium sulph. ex colore salis griseo cognoscendi restet, cum vertiginem inde stuporemque nervorum & stomachi subversionem metuat. Glaserus vero materiam, finita deflagratione, per 6 horas calcinatam, ut per continuam agitationem a fusione prohibita roseum calorem assumat, mox in usum vocare non veretur. Quod si quis utravis methodo etiam cap. mort. clyssi tractaverit, habebit medicamentum, ratione virium  $\frac{2}{3}$  lato & arcano duplicato, illique a non nullis magni aestimato sali, ex Oe & alcali fixo, per præcipitationem multæ terræ albæ, emergenti, neutiquam postponendum, cum ex iisdem elementis natum sit, ut serum fundat,  $\square$  cieat, & abstergat intestina, aluumque, in dosi majuscula, a Lemery a 3*v* ad 3*vj* extensa, exhibitum moveat, ad quam assurgere illi minus opus habent, qui cum Glasero illud *integrum*, nec  $\forall$  sua salsa *magnesia* per solutiones & coagulationes orbatum, usurpant. Cry stallorum figura ut plurimum est *cubica*, si alcali nitri acido sulph. prorsus saturatum fuerit; sin minus, fiunt sexangulares, & cum  $\oplus$   $\ominus$  mixta  $\forall$  odorem spirant, indicio admisti nitri non penitus destructi. An nitrum, per nimiam additi sulph. quantitatem in alcali mutetur, ut per carbones fieri solet, ex hac tenus allatis judicare licebit.

§ XXIX. Qui nitrum aluminatum conjecturi, loco crucibuli & aperti  $\Delta$ is, retortam tubulatam eligunt, nitri quidem spirit. in aerem avoliturum, in excipula ire cogunt, sed abutuntur tamen sua providentia, non cogitantes, nitrum cum alumine non magis, quam cum  $\oplus$  glo vel bolo detonationi aptum esse, adeoque mi-

norilabore ejusmodi mixturas simplici retortæ tradi, ut sp. nitris. unde expellatur, & ex relicta massa per vñ simplicem desideratum sal extrahatur. Multo aliter \*cum est comparatum, quod cum nitro in vase clauso in flores sublimatur, nec plus sp. acid. largiri potest, quam si sal commune atque nitr. invicem fuissent mixta. Quamvis enim utriusque concreti acidum satis valatile existat, ignisque violentia obtemperet, clavis tamen, vincula alcalina recludens, ipsis opus est. Hinc quando sali communis sp. vitroli aut nitri superfunditur, assurgit ejus acidum, cum sale p. iterum in sal commune convertendum, abitque alcali cum sp. vitr. in sal enixum, Pro vitriolato per omnia respondens, cum nitri autem sp. in perfectum nitrum transmutatur. Possemus igitur per eandem viam ex \*co sp. salis marini acidum elicere, nisi clyssum potius, h. e. liquorem ex detonatione resultantem quæreremus, quem obtinemus, si Basili Val. Revelat. occult. encheiris. p. 322, sequentes, nitri atque \*ci, sive *Draconis* atque *Aquile*, ut lib. 3, de uniuersali tot. mundi, p. 236, audiunt, aequali pondus, cum duplo pulv. silicum confusum, successive in retortam tub. inferimus. Accenduntur n. ambo salia ope sui sulphuris, proditque ex utroque liquor acidus, aq. reg. naturam referens, verbis Basillii, l. c. Ein Wäser Bad des Königs / dadurch er getödtet / seine euerliche Form zerbrochen / und die reine unbefleckte Seele ausgehen kan ; & p. 324, das ist das rechte Wäser-Bad / darinnen der König gesaubert und gewaschen wird / auf daß das mineralische Bad das seinige auch vollbringen / und durch die Wärme des Ehebettes den König zu Ehren bringen kan. In retorta relinquitur nitrum \*cale, illi affine, quod secundum obseruationem Wedelianam 196, Dec. 1, Ann. 2, Eph. Germ. in aperto vase paratur, & sec. Deodatum, præsentissimum remedium in prunella, febribus, aliisque morbis est, ubi lapis prunellæ commendatur.

§ XXX. Si tres partes nitri, cum tñ parte una exacte mixta, more hactenus tradito tractantur, non solum jactura particula-

cularum ingredientium, ex tigillo aperto per detonationis impetum in prunas dispersarum, evitatur, sed capitur etiam omnis illa subtilissima calcinati  $\ddot{\text{z}}$ ii substantia, *florum* nomine in auras abitura, simulque *magazyn* aqua, excipulis infusa, acore singulari infecta, *Clyssi*  $\ddot{\text{z}}$ i *simplioris apparatus specimen exhibens*, & per decentem rectificationem, sive  $\triangledown$  superfluæ avocationem ex arena, ad desideratam sp. mineralis consistentiam redigenda, operanti cedunt. Elementa hujus liquoris maximam partem a nitro dependere, cum nebula rubella & odor, tum nitrosæ crystalli inde per additum quoddam alcali natae, credere jubar. Est vero per admistum acidum  $\ddot{\text{z}}$ ii insigniter a puri sp. nitri qualitatibus remotus, ut nec manus tingat, nec subito, ut hic solet, & cum ferventissima ebullitione & atque  $\mathfrak{z}$ m solvat. Agit equidem manifestius in  $\ddot{\text{z}}$ , quam sp. vitrioli & clyssi alii, attamen sine strepitu, & post horam demum dilutum *cyanum colorem* inde assumit; cum contra ea sp. nit. ex  $\ddot{\text{z}}$ , momento fere citius corrosa, *ceruleo viridi* habitu amictus stet.

¶ XXXI. Haud dubito fore, qui negabunt, ab acido quodam  $\ddot{\text{z}}$ ii hac occasione sp. nitri immutari posse, cum (1) licet *lupus* hicce *grisus* sulphure quidem atque  $\ddot{\text{z}}$ io adeo abundet, ut *Radix* & *Pater metallorum*, *Saturnus* item *pbilosophorum*, termino que chimico, *Metallus primus* appellari mereatur, & in aurum tandem atque reliqua metalla, abire dicatur; *salis* tamen *acidi* parum habeat, ut a Basil. Curro triumph. p. 430, non nisi post tædiosas fermentationes & cohobationes *Acetum pphilosophi*, inde trahi potuerit (2) id ipsum, ab  $\Delta e$  per sulph. accensum evolutum, omne ab alcali absorberi. Enim vero, quamvis ad primum argumentum negari nequeat, sal quantitate minimum esse inter principia  $\ddot{\text{z}}$ ii, hoc tantum tamen illius in se recepisse, ut duram, & malleo ineptam formam acquisuerit, ab eodem Basilio, l.c.p. 351, relatum legimus: satisque multum aceti inde pellitur, si, præter fermentationem Basiliaram, a quadam clave conveniente, eaque non sacharina quidem aut simili infucata, sed vitriolica potius, aut si quæ fixior illa

inveniri potest, reseratur: quam cum Angelus Sala ignoraverit, mirum non est, ipsum Anat. §, part. i, cap. 6, satis jejunie acidulum & laticem, ex parte partim, partim ex nescio qua vasis & latiori humiditate conquisivisse. Ad secundum respondemus: nos indubiam, inque sensus incurrentem sp. nitri mutationem tamdiu ab accenso & ejusque acido derivaturos esse, donec alia mutationis causa in medium producta fuerit.

§ XXXII. Non addimus in praesentia, an calx, in retorta relicta, statim loco & diaphoretici in usum vocari debeat? cum clavis Schröderi p. 306, id non æque improbet, & eadem se semper uti, Junkenius pag. 86 notar. in notas Agric. in Popium, expresse scribat; an vero ob *anxietates praecordiales*, haud raro inde a nobis aliisque observatas, tutius sit, eam per aquam copiosam una cum floribus sublimatis, dulcem reddere, ut ex lixivio partim magist. per acetum præcip. partim pro ratione evaporationis, præunte Stissero, in Lab. spec. 2, c. 5, præter nitrum, in detonatione intactum relictum, & vulgo nit. anodynnum vocatum, eriam ex acido & alcali nitri conflatas crystallos, arcano duplicito similes, colligere queamus, restitante in fundo substantia falso-alcalina, crystallisationem renuente.

§ XXXIII. Quod proximis § de clyffo *antimonato simplici* adduximus, facile quoque ad eum applicari potest, qui ex una parte reg. jovial. & pij nitri provenit, cum stannum detonationem admödum faciliter. Qui vero regulum antimonii simplicem & & aläm, ex pi, & pij antimonii liquatum, cum pij nitri retortæ tubulata commitunt, ignisque regimen observant, paucioribus rostris intermediis opus habent, quia, ob motus misturæ deflagrantis leves & vix detonationis nomen merentes, exhalationes impetu carent, habebitque regulus & lis, haud raro a nimio & subito, instar ebullientis aquæ, oras tigilloru supergrediens, in spatio retorta effervescendi locum.

§ XXXIV. Cum nec circa præparationem clylli *acidi composti*, & quidem *medii apparatus*, quem O, & & ingreduntur, ut proinde ap. Schröderum *VS* immi (i. e. & ii) & ea audiat, nec

nec etiam circa *apparatum majorem*, propter adjectum \* ita dictum quicquam monendum videatur, tantummodo quoad pondus partium constituentium, apud diversos diversum, proportio apta observanda venit. Nemo enim hodie amplius tantundem  $\text{Pis}$ , ac  $\text{Zii}$  & nitri recipit; cum ingens ejus quantitas sine fructu in collum retorta & excipula sublimetur. Adeoque alii cum Glaub. Furn. Philosoph. Pragæ 1700 edit. part. 2, pag. 77, ad  $\text{Z} & \text{Piana}$   $\text{ij}$ , tantum  $\text{Zij}$  sulph. addunt. Aliis ideo  $\text{Zii}$   $\text{Wjæ}$  & sulph.  $\text{Zij}$  vel  $\text{iii}$ ,  $\text{O}$   $\text{Wij}$  jungere placet, ut calcem, in retorta repertam, unius horulæ calcinatione sulph. commercio liberatam,  $\text{Zii}$  diaph. nomine insignire queant. Qui vero minus nitri & plus sulph. adhibent, flores acquirunt rubellos, ut sulphur Sueicum tintos, ex quibus, & ipsa calce cinerei coloris, per spirit. vini tinturam extrahunt, in affectibus pectoris non contemnendam.

§ XXXV. Quamvis, B. Roflincii judicio, vires a Schrödero Clysto huic (non vero simplicis apparatus, ut verba chimiae sonant) assignatae, applausum mereantur, nostrum quoque non sit, autoritatem doctorum virorum in dubium vocare; cum tamen difficulter intelligamus, quomodo liquori acido & alcalino, sine discrimine ac limitatione, eadem facultates adscribi possint, neminemque lateat, quam provide acidis mineralibus adversus  $\text{Pis}$  mucilaginem, obstructions viscerum, malum hypochondriacum, colicam, affectus renum, urinamque ciendam, utendum sit, ideo nobis, unicuique suam sentiendi libertatem promittentibus, sufficiet, hac vice ad dictum Clav. Schröd. post Knöffelium atque Dierericum, ex clysis acidis cum phlegmate  $\text{Oli}$ , vel  $\text{V}$  quadam  $\text{Cta}$ , morbo competente, aut sero lactis acidulos potus constituere, potuique febricitantium eos instillare & jalapiis admiscere, pro scopo scilicet album laxandi, urinam pellendi & caliditatem totius M. S. temperandi. Vidimus enim in paterna praxi, eos ubique rel.  $\text{O}$  bus mineralibus usitatis, quos alii per  $\text{A}$  vin. dulces, ut ajunt, reddunt, & Elixir. P. P. stomach. tint. ros. comp. M. S. similibusque destinant, substitutos, nunquam autem solos sudoris vel saliuæ movenda gratia, multo minus in excedente dosi, ad  $\text{Ej}$ ,  $\text{Zi}$  adhibitos fuisse.

§ XXXVI. Aggregimur nunc alteram clyssorum classem, *alcalinorum* scil.  $\text{Zii}$   $\text{Pis}$  orum nomine venientium, qui pro medio suo *apparatu*  $\text{O}, \text{Z} & \text{Pis}$ , pro majori autem, præterea idem pondus \* ei, aut sec. Boyle cal. viv. eandemque cum acidis quantitatem humidi & instrumentorum suppellestilem, operandiq; methodum requirunt. Est vero priori loco nominatus in potissimum in usu, egregiumque specimen mutationis acidi faliis

salis in alcali exhibet; quod, sicut in  $\text{P}_t$  solo per calcinationem, in nitro vero per addita corpora sulph. terr. carbones sc. ipsumque  $\text{P}_t$  facili negotio contingit; ita hoc loco nec  $\text{Zn}$  acidum intactum relinquitur, sed simul cum particulis sulph. atque  $\text{Zn}$  libus prorsus invertitur, ut totius concreti pars una in crocum metallorum & flores fuscos, altera in regulum, tercia in clysum abeat. Prodit enim liquor, cum quovis acido effervescent, post filtrationem a floribus, aurei coloris, illo longe tinctior, quem  $\text{O}_2$  &  $\text{P}_t$  suscipiant, odoris ab initio fere vinosi, sed post aliquot dies tantum non suavis, saporis mediocriter acris. Ut particulae activae per  $\text{v}_m$  diffusae arctius coeant, singulari opus est redificatione. Ascendit in MB  $\text{P}_t$  tus volatilis, salino.  $\text{P}_t$  us, quem, si odorem excepteris, liquor prorsus fere  $\text{V}_t$  us sequitur, in fundo manente  $\text{O}_2$  aurantii coloris, cui humidi  $\text{v}_s$  q. pl. una cum  $\text{P}_t$  volat, affundi potest, ut medicamentum multis indicationibus respondens, & optimo jure encomia,  $\text{v}_s$  Stimmi acide tributa, gerens accipiamus. Dosis est a gr. 20 ad 30. Miscetur facile cum tinctura  $\text{P}_t$  aut  $\text{Zn}$   $\text{P}_t$ ,  $\text{P}_t$  tu it. de tribus, quem *Carminativum* Michaelis vocant, a clyso hoc, non nisi sp. vin. loco  $\text{v}_s$  excipulis infuso, differente.

§ XXXVII. Ut plurimum regulus in fundo reperitur, non unquam in signiter stellatus, ut non semper opus sit, jubente Cramero loco, supra  $\text{S}_2$  cit. scorias cum carbonibus fundere. Cuinam vero  $\text{h}_e$  & ille usui medico vel mechanico impendi possint, nostri instituti ja non est explicare; cum ad finem properantibus leví tantum brachio adhuc *clysi medii*, duo minoris, & unus majoris apparatus tangendi restent. Illorum *primum* constituit mixtura ex  $\text{O}_2$  &  $\text{P}_t$ , ut moris est, retorta tradita. Alter fumis debetur, quos ex  $\text{O}_2$ , in  $\text{v}_s$  fuso, carbones excitant, tamdiu injecti, donec omnis accensio eorum cesset. Tertius fit ex  $\text{O}_2$ ,  $\text{P}_t$ , &  $\text{O}_2$  commun. lege artis. Primus & secundus nec cum alcali, nec acido ebullit; tertius autem non semper mediocritatem observat, quin interdum acida quoque spicula exferat, pro ratione scilicet ingredientium, non semper ejusdem puritatis existentium. Usus omnium est diureticus blandus, in primis extra paroxy sumum nephriticum, hinc aperiens, in scorbuto & cachexia egregius, ubi viscidum serum ad statim inclinat. Caput mortuum *primi* in foro chimico  $\text{O}_2$   $\text{P}_t$  non cedit, experiturque a Metallurgis, quibus ad fundenda metalla aptum est, sed inepte audit der schwarze Fluss, cum album sit. Ad naturam primi etiam tertii reliqua pertinent. A secundo remanet  $\text{O}_2$  fixatum, ut vocant, quod in cella per deliquum solutum, Glauberus magnifico titulo liquoris Alcahest insignivit; cui an a Boyle de inventione potuerit controversia moveri, ut Barchusenius, l. c. p. 287 asserit, chronologia definit.

Tantum.

Nr. 19 als Titel nicht zu  
identifizieren!

01 A 6537

f


TA→OL

nur Stck. 12 bis her verknüpft



3

100%



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80

## Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

D. B. V.  
 DISSERTATIO MEDICAL  
 DE  
**CLYSSIS MINE**  
 QVAM  
 RECTORE MAGNIFICENT  
 SERENISSIMO PRINCIPE A  
 DOMINO  
**VVILHELMO H**  
 DVCE SAXONIAE JVLIACI CLIV  
 ANGARIAE ET WESTPHALIAE  
 PRÆSIDE  
 PRORECTOR MAGNIFICO  
**JO.HADRIANO SL**  
 HEREDITARIO in Ober  
 MED. D. AN. CHIR. ET B  
 ITEMQVE MED.DVC.  
 PARENTE SVO DEV  
**PRO LICEN**  
 SVMMOS IN MEDICINA  
 ET PRIVILE  
 RITE CAPESSENDI  
 PVBLICÆ ERVDITORVM DIS  
 SISTIT  
**JOANNES FRIDERICUS**  
 SLEVOGTTI  
 IENA THVRIN  
 IN AUDITORIO M  
 HORIS ANTE ET POMERIE  
 D. 3 AVGVSTI ANNO M  
 JENAE  
 LITERIS GOLLNERIANIS